

Biographische Schriften über Ettenheim-Münster von Carl Will.

265

diebus solennioribus dominus coadiutor pontificales funciones peraget.

Septimo. Liberum etiam esto rev. dom. abbati concionari in ecclesiis monasterii quocumque eidem liberit, ad minus tamen prius duabus septimanis desuper dominum coadiutorem admonebit.

Octavo. Tam quoad conservandam quam reparandam sanitatem rev. dom. abbati omne necessarium et conducens auxilium a medico et ex pharmacopoea monasterii charitative semper impendetur.

Utque nono idem rev. dominus abbas non tantum circa corpus, sed etiam ac praecipue circa animam magis consolatus reliquos suae vitae dies transigere queat, eidem religiosus quidam ex conventu Ettoniano, quem maluerit, penes se habere a domino coadiutore concedatur.

Decimo. Cum rev. dom. abbas non nisi cum periculo gravis defectus corporalis causandi equitare possit, hinc eidem minus carpentum cum duobus equis aliisque pro duceuda domesticatione necessaria etiam dabuntur, quibus semel subministratis, sibi ipsi imposterum rev. dom. abbas de suis assignatis proventibus providebit.

Undecimo. Idem rev. dom. abbas, dum in Riegel residebit, facile poterit curam habere caeterorum omnium, quae in Endingen, Denzlingen, Köndringen et Forchheim annuatim cadunt, unde promittit etiam illorum curam et ita quidem habere, ut absque salario oeconomio annuatim alias praestari solito, proventus in dictis locis annui monasterio cadentes colligantur et monasterio consignentur.

Hanc resignationis intentionem una cum tractatu ac projecto cum conventus perlegisset, eminentiss. dom. episcopo transmisit eiusque desuper exposcens iudicium, quod is per duo rescripta mox apponenda per rev. dominum abbatem Mauri-Monasteriensem hac in re ab eodem eminentissimo dom. cardinali et episcopo delegatum, conventui capitulariter congregato jussit insinuari ac exponi.

Rescriptum primum ad abbatem ¹.

Armandus Gasto, tituli sacrosanctissimae Trinitatis in monte Pincio sacrae Romanae ecclesiae presbyter cardinalis de Rohan, episcopus et princeps Argentinensis, Alsaciae landgravius, sacri Romani imperii princeps, magnus Franciae elemosynarius, regii ordinis sancti spiritus commendator etc. dilecto filio nostro venerabili abbati divi Ettonis salutem. Cum tuum divi Ettonis monasterium nostrae tutelae et auctoritati tot ex titulis concredidit singulari benevolentiae ac patrocinio complectamur, non sine maxima anxietate et sollicitudine accipere possumus, crescere istic dissensionum motus, quos tecum amica et conciliatrice indulgentia componere modo tentavimus. Nescimus, quo fato contigerit, ut quae maxime commendata tibi fuerant exhibendae et manifestandae benignitatis tuae erga fratres consilia, si non abiicisti, certe praetermiseris et neglexeris. Quoniam autem fixum animo nostro est, in monasterio tuo pacem statuere, pacem, quae Christi

est et religionis, novo te hodie scripto compellere et obtestari decrevimus, ut ad ea, quae saniora sunt et in his temporum rerumque rationibus prorsus necessaria te totum serio concertas, quo familiam, cui praees, a te recedentem et forte, nisi cito occurreris, omnino avertendam et abalienandam retineas atque concilies. Audi igitur nos, dilecte nobis fili, ut a tuis pater audiri possis: agnosce vocem tibi amicam et indulgentem. Imperare quidem jure nostro possumus, malumus hortari et obtestari, ita tamen, ut si ecclesiae, cuius ministri sumus, minus obediatur, parati simus armis Christi ulteriorem, quae et conventui et tibi adeo noxia foret, ulcisci contumaciam. Haec autem districtae nostrae monitionis sint capita. Volumus primo praeter duo capitula, quae ineunte tempore Adventus et Quadragesimae haberi solent, alia cogi jubeas, ut praecipua monasterii negotia norint suisque consiliis juvare ac promoveri possint capitulares tui. Secundo. Lites, quae alienas sint momenti, non suscipias aut prosequaris, nisi consiliis fratribus et consultis viris juris aequi et pacis studiosis. Tertio. Diligenter restaurari jubeas aedificia tua templorum, seu domorum ad monasterium pertinentium, ne neglecta labantur, maiori postea sumptu ex integro excitanda. Quarto. Oeconomicam rem, praecipue quantum ad grana et vina, ne quid detrimenti patiantur, ita cures, ut largitori honorum deo aequam et fidelem rationem valeas reddere. Quinto. Fratribus aegrotantibus ac hospitibus ad te divertentibus attente provideas, studiosus religiosae charitatis. Sexto. Raro nec nisi cogente necessitate aut suadente utilitate recedas a tuis nec usquam longum aggrediaris iter, nisi monitis praeter priorem patrum antiquioribus. Denique continuis vigiliis, quasi positus in excubiis miles praesente hoste, animum curamque intendas in mores, studia conversationemque fratrum, maxime eorum, qui in via pietatis non satis firmo gressu ambulant, satagasque a monasterio omnem prorsus remove scanda- li cujuscunque speciem, ne quid offensionis incurrat in tuis sanctum divi Benedicti nomen. Quod certe non assequeris, nisi exemplar omnium factus in gravitate, castitate, fide et charitate omnem temere obloquentium quorundam saecularium maledicentiam ac invidiam compresseris. Caeterum probare nullatenus possumus cogitatum a te, quod forte imprudens et scripto et voce declarasti capitularibus quodque tuis mihi literis significatum esse voluisti, consilium postulandi, certis quibusdam de conditionibus coadiutoris. Non admittunt sacri canones proposita puncta, imo famae et saluti tuae adhuc magis quam legi illa adversantur. Neque enim decet et licet loco cedere abbatem, ut privatus in pago instar saecularis cuiusdam toparchae vitam agat, non coenobiticam, non eremiticam, sed liberam, saecularem et omnibus, ut humanarum tentationum periculis, ita et admurmurantium calumniis et sermonibus obnoxiam. Si divino spiritu impellente, seu ad sedandam, qua familia tua jectatur, tempestatem, ut alter Jonas, seu ad operandam tutius in christiana abiectioe propriam salutem, ut complures sancti, quorum memoria in benedictione est, praelationem dimittere decerneres, aut repetendus esset inter fratres, qui tuus primus fuit locus, aut certe reservata ex ecclesiastica auctoritate super bona tui conventus aequa et modesta pensione divertendum tibi esset ad aliud monasterium, in quo floreret honor studiumque regularis disciplinae. Verum etsi ita loquimur, noli in animum inducere, velle nos, ut pastoralem baculum et curam abicias: quin imo magis optamus,

R4

¹ Hier ist auf einem besonderen Blatte ein Kupferstück von R. Galbenwanger, das Porträt des Cardinals darstellend, beigeheftet. In dem Werke von Confini: Roma sancta 1726 ist p. 75 auch ein Kupferstück (von Kofch) des Porträtes des Cardinals Armand von Rohan, dessen Lebensgeschichte beigegeben, welcher aber mit dem Galbenwanger'schen nicht übereinstimmt.

Quellsammlung, IV.